

**CATALOGUS LIBRORUM
ISLANDICORUM
ET NORVEGICORUM
AETATIS MEDIAE**

Published @ 2017 Trieste Publishing Pty Ltd

ISBN 9780649109814

Catalogus librorum islandicorum et norvegicorum aetatis mediae by Theodor Möbius

Except for use in any review, the reproduction or utilisation of this work in whole or in part in any form by any electronic, mechanical or other means, now known or hereafter invented, including xerography, photocopying and recording, or in any information storage or retrieval system, is forbidden without the permission of the publisher, Trieste Publishing Pty Ltd, PO Box 1576 Collingwood, Victoria 3066 Australia.

All rights reserved.

Edited by Trieste Publishing Pty Ltd.
Cover @ 2017

This book is sold subject to the condition that it shall not, by way of trade or otherwise, be lent, re-sold, hired out, or otherwise circulated without the publisher's prior consent in any form or binding or cover other than that in which it is published and without a similar condition including this condition being imposed on the subsequent purchaser.

www.triestepublishing.com

THEODOR MÖBIUS

**CATALOGUS LIBRORUM
ISLANDICORUM
ET NORVEGICORUM
AETATIS MEDIAE**

CATALOGUS LIBRORUM
ISLANDICORUM ET NORVEGICORUM
ÆTATIS MEDIÆ

EDITORUM VERSORUM ILLUSTRATORUM

SKÁLDATAL

SIVE

POETARUM RECENSUS

EDDÆ UPSALIENSIS

THEODORUS MÖBIUS

CONCINNAVIT ET EDIDIT

LIPSIAE

APUD W. ENGELMANNUM

MDCCCLVI

Z
2556
m64



LECTORI S.

Catalogus librorum Norrœonorum, quo cognoscatur qui quas et quales editiones nacti sint, quum ut a me sic ab aliis, qui apud nos in his literis occupantur, desideraretur neque tamen aliunde nobis exspectandus videretur, non inutile me facturum esse opinatus sum, si quæ in meum usum adnotassem, elaborata et communi usui accommodata publici juris facerem. Rationem libelli et auxilia, quibus adjutus cum exstruxerim, his paucis percipe.

Ut incipiam a titulo titulorum huic seriei præfixo, libros islandicos et norvegicos ætatis mediæ eos dico, qui ab Islandis neque non a Norvegis in lingua quæ utrisque eadem erat norrœna inde a sæculo XII. medio usque ad finem sæculi XIV. compositi aut quam diu cunque antea recitati et narrati tunc demum literis mandati sunt et una cum lingua sua vulgo audiuntur vel antiquo-danici (*lingua danica, dönsk tunga* apud scriptores mediæ ævi) vel, quasi ceteri Scandinavi quam habuisse evinci nondum potuit partem in ea habeant, antiquo-septentrionales (*altnordisch* apud nostrates, *oldnordisk* apud Danos, *fornskandinavisk* apud Svecos) vel denique Norvegorum parte plane ignorata islandici. Horum igitur librorum quæcunque typis pressa prodierunt in hoc catalogo recenseri volui et ita volui, ut si quis liber aliunde notus in eo non reperiretur cum inde certo colligi posset impressum adhuc non esse.

Quod vero ut quam plenissime officeretur, ea quoque recipienda esse duxi, quæ aliis libris inserta atque una cum his nec tamen separatim edita sub proprio titulo nota essent; membra historica (pœttir) dico et carmina. Illa quidem tantum abest ut omnia receperim, quibus sive codicum scriptoribus sive editoribus proprium titulum præfigere placuit, ut ea pæne sola elegerim, quæ a Petro Erasmo Müllero in Saga-bibliotheca enarrata sunt; ita enim cavebatur ne quæ a Müllero ut suo tempore inedita ita significata erant etiam nunc ea esse quisquam crederet. Sed carmina, quibus si quod est nomen proprium hoc ab æqualibus nisi a poetis ipsis impositum est, saltem eorum nullum exclusum volui, quorum — quamquam id de plerisque omnibus dicendum est — nil nisi fragmenta ad nos pervenerunt; ea ipsa autem diversis locis dispersa carmine e quo desumpta sint sæpissime non nominato ita indicare ut quæ quo ordine cuique attribuenda essent cognosceretur, vix verendum est ne quis quod eruditissimorum est et artis scaldicæ peritissimorum a me primo id factum esse vel etiam fieri potuisse existimet; satis habui indicare, ubi carminis nomen reperitur, nonnunquam tantummodo, si per aliquam auctoritatem liceret, paululum ultra progrediens. His duobus si tertios addidi codices mss. item titulatos, nonnullos tantum eorum esse non nego, qui hunc sibi locum jure editionis vindicent; tamen etiamsi non prospiciendum fuisset ne opera et codices mss. tituli sæpe ejusdem vel similis confunderentur, haud scio an illis gratum fecerim, qui codices quosdam tam sæpe laudatos tantaque laude dignos aut pro virili parte descriptos aut ubi describerentur indicatos vellent.

Hanc vero his additamentis auctam librorum summam recensendi rationes quamquam plures se offerebant, tamen quæ consilio supra significato aptior fuisset nullam nisi eam inveni, qua libri titulis ad alphabeti ordinem digestis omnes una compescerentur serie. Qua semel constituta non est quod dicam nihil me antiquius habuisse quam ut tituli librorum non modo si qui

unius libri plures essent singuli suo loco afferrentur, sed etiam ut et recte scripti et ita comparati essent ut quo quis liber significetur tuto et facile inveniri posset. Scribendi rationem eam secutus sum, quæ et ad fidem librorum mss. antiquissimorum et ad linguæ leges exacta non tam diu est quod in libris edendis increbuit; duo sunt, in quibus ab editionibus Haunia emissis plerisque discedendum esse duxi, unum quod literæ i vel u ante ng positæ productionis signum non superscripsi, alterum quod o longum litera i affectum non per æ, sed per œ expressi itaque scripsi non Íslendáingar, sed Íslendingar, non kontíngr sed konungr, non fræði, sed fræði (fróðr), non bræðr, sed bræðr (bróðir) etc. Tituli qui una voce continentur quum mutationem neque requirerent neque admitterent, eos qui pluribus compositi sunt eo minus ita ut ratio catalogi ferebat immutare dubitavi, quo diligentius prospexi ut quæ qualiscunque editionibus præfixa esset titulorum forma prorsus eadem in earum descriptione redderetur. Versionem latinam, quæ adjicienda esse videbatur illis, opinor, non plane inutilis, qui ágrip Agripium quendam esse nuper decernerent, aut inventam recepi aut novam posui ad id maxime intentus ut quæ nomina non essent propria si non litera initiali minuta tamen versione satis discernerentur. Qua in opera quamquam satis magnam partem doctrina uti licuit præclarissimi illius viri, quo nullum novi hac utriusque linguæ scientia peritiorum, Sveinhjörnis Egilsonii, tamen multo plura relicta fuerunt in quibus quid ego ipse valerem periclitandum esset; alia quæ latina voce minus apte reddita videbantur verbis ex libro ipso petitis explicare studui, alia quamquam duo tantummodo vel tria desperavi.

Libris jam vero hocce modo indicatis ut jure suo indicari appareret suum cuique editionum syllabum subjeci, versionibus et commentariis non neglectis. Editionibus etiam iis qui librum exhiberent integrum excerptorum indicem — ne brevissimis quidem prætermissis — me addidisse, ii quidem non reprehendent

qui ut has unas afferam in Antiquitatibus Groenlandicis lacinias sæpe minimas necum invenerint non modo procemiis commentariisque illustratas doctissimis sed etiam librorum mss. notitia instructas hic aut primum aut denuo in usum vocatorum eorumque diligentius quam alibi factum erat et excussorum et descriptorum. In hanc quidem partem scilicet eam, qua accuratissime examinata ut lingue sic librorum historiaeque literarum cognitio quæque subtilior non minimam partem stabilitur et inde quem sibi fructum capiat cum alii tum Carolus Ungerus illustrissimo exemplo nuper demonstravit — in hanc partem quod hoc loco inquiratur vix inveniri poterit qui expectet: tamen ut hoc quoque opusculum ne plane ἀσμβόλωσ abiret, indicavi quando id facile et sine obscuritatis periculo fieri potuit codices mss., quibus ut fundamento suo conditiones singulae superstructæ essent, chartaceis asterisco notatis, et inserui quod Haunia: olim de codice Eddæ Sæmundinæ regio mihi adnotaveram. Editionum igitur quum nullam qualemcunquo prætermissam vellem præ ceteris cautus ne quæ princeps me ellugeret, in versionibus et commentariis eodem deligendi jure usus sum atque in Prodro-mo catalogi quo præter opera in Catalogo excerpta et passim laudata ea quoque recenseri non e re videbatur, quæ ad librorum Norrœ-norum cognitionem et æstimationem viam aperiant: quamquam in utraque parte nunc video prætermissis prætermittenda multo plura esse. Pœniteret, nisi graviorum pœnitendum esset ut quod indiculum istum adjeci systematicum, nimis tenuem et commentariis non additis vix perspicuum.

Universæ hujus librariæ suppellectilis quod permulta antea mihi incognita in meam notitiam venerunt, perpauca tamen sunt quæ non aut ipse viderim aut ita descripta habuerim, ut nihil desiderari videretur, diligentiae et humanitati virorum debeo quorundam cum de his literis tum de me meoque libello merittissimorum. Nam ne dicam de Warmholtzii, Johannæi, Nyerupii, Erslewii thesauris, de copiis bibliographicis quæ in operibus a

Societate regia Antiquariorum Septentrionalium editis accumulatae sunt, de Werlauffi commentationibus iudicii subtilitatem, qua splendent, doctrina æquiparantibus accuratissima et amplissima — notissima hæc sunt et uni cuique patent — ex illis qui hoc opusculum singulari sua humanitate dignum esse voluerint, primo loco Carolus Christianus Rafn et Gustavus Eduardus Klemming mihi nominandi sunt. Ille cum in aliis tum in hac mei libelli parte consilio suo et auxilio ita me adjuvit, ut si quæ in eo utilitas esse videatur, non mihi sed præ ceteris viro illi clarissimo attribuere velis. Klemming autem vix de meis inceptis certior factus editionum illarum Svecicarum sæc. XVII. et XVIII. titulos misit tam copiose, tam diligenter, tam exacte descriptos vel dicam depictos, ut adnotationum quidem, quas vir in his rebus eruditissimus hic illic adscripserat, nulla omissa, tamen doleam quod quin illos integros redderem præ catalogi ratione impeditus fuerim. Præter hos quid Jón Sigurdsson, quid Christianus Lange et ipse et eo intercedente Rudolphus Keyser, quid Conradus Maurer, quid alii mihi præstiterint et quantopere eruditionis suæ copiis me sublevaverint, nisi si in libro ipso indicatum fuerit, hoc loco gratissima officiorum prædicetur memoria.

Alteram hujus libelli partem qui constituit Recensus poetarum veterum Septentrionalium, sub nomine Skáldatal satis notus, quod hic aliquantum correctior prodeat, voluntati officiosæ et comitati Caroli Chr. Rafn v. cl. debetur. Hoc enim intercedente exemplar meum e codice Upsaliensi Hauniæ his duobus annis ante transcriptum ad fidem hujus codicis, cujus plenus usus ibidem adhuc concedebatur, tanta accuratione eaque rei cognitione exactum est, ut si quid in mea editione minus recte legatur ei, qui codicem conferebat, vix attribuas. Quamquam ego quidem feci quod potui membranæ vestigia et in nominum ordine et in scribendi ratione ita presse quam maxime secutus, ut nihil mutarem nisi quod nomina propria litera initiali majore